



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

IV. De peccato Mortali, & Veniali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

ad peccatum mortale non adfuisse. Si dubitans conscientia est adeo timorata, vt peccatis dissentire soleat, vt plurimum indicandum, plenam aduertentiam, & consensum non exhibuisse, licet aliqua in repellendis tentationibus negligentia laborarit. Cum autem quis dubitat, an aliquod fecerit, seu voluerit somno correptus, an in vigilia? haud leue iudicium est, plenam aduertentiam, & consensum minimè adfuisse.

10. Datur in indiuiduo vllus deliberatus actus, qui sit indifferens? Minimè, sed quemlibet bonum, aut malum esse sentio. Dantur tamen aliqui actus, qui secundum speciem nec boni sint, nec mali, v. g. actus comedendi, &c. Huiusmodi actus nec sunt boni ex obiecto, neque prohibiti, sed indifferentes.

11. Malitia peccati ac iniuria infiniti Dei, quæ reperitur in peccato, est ne intrinsecè infinita? Non; quia tanta est malitia peccati, & iniuria Dei, quanta est bonitas actui debita; sed bonitas debita actui non est infinita; ergo neque malitia, nec Dei offensa. Iniuria quidem Deo irrogata grauior est, quàm iniuria hominibus facta, non tamen infinita; alioquin etiam iniuria, quæ Deo per peccatum veniale irrogatur, infinita esset.

CAPVT IV.

De Peccato Mortali, & Veniali.

12. Quid peccatum Mortale, & Veniale? Mortale est, quod amicitiam cum Deo dissoluit, & peccatorem reum æternæ pœnæ constituit. Veniale autem neque Deo hominem reddit inimicum, nec æterno dignum supplicio; sed solummodo temporalia pœna dignum, cum faciliè veniam adipiscatur.

§. I.
Mortale,
& ve-
niale
pecca-
tum.

13. Quotuplex Veniale peccatum? Triplex. Primò dicitur veniale ex suo genere, quod ex sua natura & obiecto, circa quod versatur, est leue, vt verbum otiosum, mendacium iocosum. Secundò, dicitur Veniale ex imperfectione deliberationis, & aduertentiæ vt percussio ex subita ira. Tertio, dicitur Veniale ex paruitate, seu leuitate materiæ, vt furtum pommorum, aut nummorum in quantitate parua.

14. Datur ne paruitas materiæ in re qualibet. Minimè. In materia enim Simonia, Odij Dei, iuramenti falsi, & Rei

Rei

268 *Moralis Theologia Tract. II. Peccata,*
rei venereæ materia leuis excusans à mortali non assigna-
tur.

15. *An multa venialia per se & formaliter loquendo unum mortale efficiant?* Non; quia peccata venialia innumera non priuant hominem gratia Dei. Fateor enim, qui per leuia furta ad quantitatem peruenit grauem, mortaliter delinquere; sed non quod plura furta venialia vnum mortale efficiant, sed quia vltimus iurandi actus circa materiam versatur, quæ continuata cum præcedentibus ad peccatum mortale sufficiat. Vbi adnoto, quod quoties materia vltimi peccati venialis potest cum præcedentium materia continuari, vltimum, in quo grauis materia completur, mortale esse, quod alioqui venialem non excederet. Quando verò materia vltimi peccati venialis non potest cum materia præcedentium moraliter continuari, vltimum non esse mortale affirmo, quia singulæ materiæ sunt paruæ, & absque morali illigatione disiunctæ remanent.

16. *Num peccatum veniale possit mortale fieri?* Potest, vel ratione finis moraliter mali; v. gr. si mulier suo ornatu aliquem ad concupiscentiam alliceret. Vel ratione plenæ aduertentia, cuius defectu graue quodcunque venialis limites non transliebat. Vel ratione contemptus, aut inobedienciæ. Vel ratione proximi periculi incidendi in lethale. Vel ratione conscientia erroneæ. Vel ratione scandali grauis actiui. Vel per additionem materia.

§. 2.
Mortale peccatum.

17. *Quomodo Mortale peccatum dignoscatur?* Primò considerando materiam ipsius, vt pote necessariam, ad seruandam Dei, ac proximi charitatem. Deinde legis obligationis, & materia grauitate posita, consideranda est actus deliberatio: an interuenerit plenus rationis vsus, nec ne. Tertio, perpendenda quæ ex genere suo mortalia sunt. Quæ enim contra Theologicas virtutes, contra Iustitiam, Religionem, Temperantiam præcipuè in materia venerea sunt, mortalia ex genere recensentur.

18. *Num mortale ex genere suo possit veniale reddi?* Potest quidem, tum leuitate materia, tum deliberationis plenæ defectu. Non ita veniale ex genere in mortale transmutatur.

19. *Vnde nam peccatum mortale, aut veniale aggrauatur?* Hæ circumstantiæ peccatum aggrauant. Maior affectus, vel conatus ad peccatum. Maior scientia, & cognitio criminis. Conditio personæ peccantis, vel in quam, seu cum qua peccatur. Maius damnû quod infertur. Peior finis, qui à delinquente intenditur, Scandalum adiunctum, Locus, tempus, modus.

CAP.